

sequentibus Seneca docuit, unde hæc libidines ortum habeant,  
nimirum v. 203.

*Quisquis secundis rebus exultat nimis,  
Fluitque luxu, semper insolita appetens,  
Hunc illa magna dira fortuna Comes,  
Subit libido, &c.*

Hinc rarius in tabernis pauperum hæc Venus habitat. Videtur  
hæc sententia expressa, & amplificata ex illa Euripidis v. 409.

Ἐκ δὲ Ἰωνάων δόμων

Τόδ' ἤρξε θηλείαισι γίνεσθαι κακόν.

Splendidam enim sortem plerumque solet sequi libido & intem-  
perantia.

Est etiam locus apud Euripidem, ubi inquiritur in causas vi-  
tæ nostræ corruptæ, sed certe infelici successu, licet magno cona-  
tu. Dicit Phædra, v. 375. se noctu sæpius in eam cogitationem  
venisse, quinam sit fons, & origo tam corruptæ hominum vitæ.  
Videri autem sibi homines εἰ καὶ γνώμης φύσιν à tramite virtutis de-  
flectere, sed alios propter ignaviã, alios propter voluptates, quas  
honestati præferunt, alios propter aliam causam virtutem dere-  
linquere; idque ex hoc argumento sibi certo colligere videtur,  
quod multi adhuc sint boni. hoc, licet non negaverim, id tamen  
non evincit, quod debebat. nam unde illi suam bonitatẽ habent,  
nisi ex castigatione naturæ in vitium cereæ, & præceptis sanioris  
Philosophiæ. certe, si ductum corruptæ naturæ sequuti fuissent,  
nihil meliores evasisent, quam vulgus reliquũ. Quæ Scholiastes  
hic ex Philosophia affert, ut mentem Euripidis explicet, nimirum,  
ὅτι τὰ φυσικὰ πάντα πάνι παρέπειθ', οἷον τὸ γλασινόν, τὸ ξανθόν, καὶ τὰ ὅμοια,  
καὶ ἐκ αὐτῶν ἕυροις χρωεὶς γίνεται ea ut verissima sunt, ita mire dictis  
nostris subserviunt. Nam cum ea, quæ natura insunt, omnibus  
insint, & paucissimi dentur, qui iis careant, necessario omnes bo-  
ni esse deberent, paucissimis exceptis, in quibus naturæ defectus  
deprehenderetur. sed contrarium quis non videt? Cicero certe  
aliter sensit, licet vix proferre ausus sit. l. 2. Tusc. quest. p. m. 264. ubi  
dicit: Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, hu-  
mille, enervatum quodammodo, & languidum. Interim verissima hæc  
est sententia v. 380.